



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Mirabilis Vita Venerabilis Virginis Marinæ De Escobar Vallisoletanæ

Deprompta ex ijs, quæ ipsamet jussu Patrum suorum Spiritualium
consignavit

Secvnda Pars Mirabilis Vitæ Venerabilis Virginis Marinæ De Escobar

Puente, Luis de la

Pragæ, 1688

Caput X. De singulari spiritus prophetico, quem Deus huic Virgini
communicavit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38666

Christi amare debeat crucem, ad ejusdem Domini imitationem: sextus, in quo consistat actualis præsentia Dei in anima: septimus, de instructione Confessorum, pro adjuvandis animabus: octavus, de Prælati Religiosorum Ordinum. Omnes hi tractatus, etsi breves, sublimem continent doctrinam, ac talem, ut eam doctissimi viri fuerint admirati. Non possum silentio præterire, quomodo hæc Virgo inter suos dolores, non sine Divina inspiratione, scripserit vitam Marinæ Hernandez, & ipsius obitum. Convixit illi hæc sancta Matrona viginti quinque annis, operâ ejusdem utebatur Domina Marina in omnibus peragendis, et atq; insignis Dei serva Multa recenset nostra Virgo, tanquam testis oculata, de ipsius virtutibus. Fuerat conjugata, atque tam in statu matrimoniali, quàm in viduitate, vitam agebat sanctissimam, adeò ut nostra Domina Marina lectum suæ sociæ Marinæ Hernandez moribundæ viderit circumdatum ab Angelis, & postea felicem illius animam in cælo magnâ conspicuam gloriâ. Omnes hos tractatus ego habeo. Hactenus P. Fr. Andreas.

Multa hujusmodi à se observata asserunt ipsius sociæ, & ex, quibus illa confidebat sua arcana: dicunt autem, contracto earundem juramento in compendium, sequentia. Quavis occasione illam vidimus, magno amore ferri erga suos

proximos, quo impellente ipsam vel optebat pati, vel ad varia loca, atque ad diversos scribere schedas & epistolas, singularem continentes consolationem, aut instructionem, plenas divino lumine, quod illi à Deo communicabatur. Nisi enim Deus ipsi inspiravisset, ut eas scriberet, procul dubio ab illis abstinuisset; quia erat verecunda, & invita se in aliorum acta ingerbat. Quòd à Deo compelleretur ad scribendū, bene tum advertebatur, quando rogabatur à quibusdam Religiosis, ut huic vel illi efficaciter scriberet, quòd non bene viveret, aut alia hujusmodi, quibus respondebat, epistolam suam nihil profuturam, neque se scire, quid ipsis posset dicere, nisi sibi aliud à Divina Majestate manifestaretur. Instabant illi, & Venerabilis Marina incipiebat scribere, neque sciebat progredi, & sine mora scriptionem abrumpebat cum magno suo dolore, quòd non posset gratificari petenti epistolam, vel juvare proximum consilio indigentem. Contrà verò, quando scribebat jussu Dei, accidebat id illi perfacile, & consilia ipsius ac monita erant efficacia. Atque licet essent tres, quæ sciebamur scribere, non deerat tamen omnibus, quod ageremus. Cùm autem ab acerbioribus cruciatibus impediretur, quò minus se exercitijs impenderet charitatis, vehementer dolebat, quòd suis proximis opitulati non posset, sicut vellet.

CAPUT X.

De singulari spiritu prophetiæ, quem Deus huic Virgini communicavit.



Prolicitus sum in prologo hujus tertij libri, me aliquid de spiritu prophetico, quem Deus isti suæ purissimæ sponsæ communicavit, & de magnis miraculis, quæ Deus per illam est operatus, dicturum, post enarratū felicem ipsius obitum, & gloriosas exequias. Videor verò posse redargui, quasi non servaverim propositum, cum me per integra sex præ-

cedentia capita detinuerim, seu divertirum, in commemorandis succinctè heroicis hujus Virginis virtutibus, quas longo vitæ octoginta propè annorum decursu, cum indefessa perseverantia exercuit. Exiguus tamen meo judicio non sum præfixo transgressus terminos, neque ullatenus aberravi à via, cui insisto, tum quia in serie miraculorum istius Venerabilis Domine primum, omniumque maximum existimo esse eminentissimam perfectionem, ad quam

quam per virtutum usum fuit evecta; tum etiam quia minùs credibilia, quod ad originem atrinet, tanquam à bono processerint spiritu, viderentur miracula & prophetiæ alicui, qui virtutum ipsius præstantiam & soliditatem non conplexisset. Quò altiùs & pulchriùs statua assurgit, eò prudentiùs meruitur illius ruina, si ipsi non congruat basis quoad firmitatem ac stabilitatem. Spiritus propheticus non semper est indicium sanctitatis, eò quòd haberi possit cum peccato; opera oculis hominùm admiranda non semper sunt effectus virtutis, cum illa sciat quàm vivacissimè adumbrare Satanas, & efficere, ut etiam perspicacissimo intellectui videantur esse supernaturalia. Nihilominus dum excellens sanctitas, & virtutes morali elucet evidentià, quæ hac de re in cæo isto peregrinationis statu haberi potest, tunc admodum probabiliter illius personæ, quæ ijs est prædita, prophetias censemus esse Divinas, & judicamus ejusdem miracula esse vera: atque hæc ipsa miracula & prophetiæ, quæ pro talibus habentur, nobis earundem virtutum excellentiam reddunt probabiliorē. Solet namque magni Dei ac Domini nostri liberalitas hujusmodi donis impigram in ejus obsequio sanctitatem condecorare. Ista fuit causa, ob quam priora scripsi capita, potiùsque hoc subsequente loco ea, in quibus agitur de prophetico, & miraculorum patratore spiritu, quàm alio. Necessariò enim alicubi in secunda hac parte erant scribenda, cum sanctus Pater Ludovicus in prima sua hujus historiæ parte referre non potuerit, quæ tot annis pòst testes jurati asseruerunt. Exordiendo itaque ab omnimoda veritate, quæ ipsius prophetiæ multis annis antè enuntiata, & nonnullæ de rebus omnem excedentibus creaturarum potentiam ac scientiam, eò quòd dependerent à libero hominis arbitrio, fuerunt impletæ, paucis complectar philyris, quæ in authenticis & juratis processibus fusè referuntur, à personis omni exceptione majoribus, & sunt sequentia.

Dum nostra Societas filiali affectu optaret, videre honoribus ab Ecclesia auctum

magnum suum Patrem, & Patriarcham Sanctum Ignatium, rogaverunt Venerabilem Marinam Patres, qui tum cum illa agebant, ut sibi hoc negotium singulariter curandum assumeret, commendando illud Divinæ Majestati, quod Virgo fecit, & divini oraculi percepto lumine asseverantissimè dixit suis Confessarijs: Nec Papa, qui nunc vivit, neque is, qui illum sequetur modico viçturus tempore, sed post hos duos tertius Beatum pronuntiabit sanctum Patrem Ignatium. Hoc subitò fuit per totam Provinciam nostram divulgatum, & P. Michaël de Orenja jurat, se id, cum juvenis vacaret studijs, audivisse à senibus Patribus, semperque curiosè observavisse, an esset implendum, & suis vidisse oculis, quòd ità profusè venerit. Qui enim tum vivebat, erat Clemens octavus, quem immediatè secutus est Leo undecimus, cujus regimen paucorum fuit dierù; & huic successit Paulus quintus, qui Beatorum accensus numero Sanctum Patriarcham. Idem jurat P. Ferdinandus de Espinosa. Addit P. Fr. Andreas de Ponte in suo juramento hæc verba: Revelavit illi Deus multis annis antè, adscriptum iri Sanctorum fastis gloriosum Patrem Sanctum Ignatium: etiàmq; mihi, priusquam in album Beatorum referretur, aliquoties dixit, id esse certum. Et quamvis sciret, à nonnullis Sancto minùs additòs judicari contrarium, audivi idem ab illa multoties asseverari: addebat autem, se hoc visuram antequam à Deo ex hoc mundo auferretur. Utrumque per Divinam bonitatem impletum esse patuit.

Dum P. Christophorus de Ribera, qui propter suas multas virtutes sanctus fuit appellatus, visitaret, tanquam Præpositus Provincialis, nostrum Collegium Oviedi, anno millesimo, quingentesimo, nonagesimo nono, significavit ipsi hæc Virgo per suum Confessarium, ut inde quantocyus discederet: alioquin enim, si se sibi detineret, corripiendum peste, & ex ea obiturum. Executus est id P. Provincialis, atq; paulò pòst oppidum illud, quod cæli gaudebat salubritate, invasit pestis, & omnis conditionis homines vitæ fuerunt periculo obnoxij. K k k 3 Patri

Patri Michaëli de Orenja dixit Venerabilis Marina, quandam personam brevi morituram, & à Deo propterea privandam vitâ, quòd irasceretur cuidam alteri, cui illa, quæ erat moritura, sanguine fuit proximè juncta. Respondit ipsi Pater, quòd Deus sit misericors, sciâtque sententiam poenæ suspendere, si emendaretur vita illius, qui esset reus. Verum est, reddidit Virgo; hac tamen vice mandabitur executioni: vidi enim à Deo intentari ictû lethalem. Distabat illa persona multis levcis, sed evidenter deprehensum est, eandem postridie incidisse in morbum, & eâ ipsâ septimanâ obivisse.

Quidam Religiosus ex Ordine S. Dominici valde probus, & sancto incensus zelo, voluit proficisci in Indias, opem laturus animabus: petijt consilium à Sancta, quæ illi svasit, ut à proposito desisteret, eò quòd zelus ipsius, licet esset bonus, non esset tamen prudens: quia ille Pater erat naturæ austeræ, minusque idcirco idoneus ad agendum cum hominibus fragilibus, & recenter convertis. Noluit obtemperare, & uno anno ante ejus mortem hæc Virgo illam ipsi prænuñtiavit, dixitque id P. Fr. Andreae evenit, sicut illa dixerat. Siquidem, dum jam esset conscensurus navim, incidit in febrim tertianam, cujus tertio paroxysmo fuit extinctus. Socij ipsius, qui illi aderant, & sciebant, ei à Sancta fuisse svasum, ut ab ea profectioe abstineret, illum monuerunt, ut peteret à Deo veniam, quòd famulæ ipsius morem non gessisset.

Sequentis eventus testis est oculatus P. Fr. Andreas, & jurat, omnia ipsius operâ interveniente fuisse acta, quæ idcirco, licet ab alijs quoque referantur testibus, dicti tantum Patris enarro verbis: Habebat Domina Marina sororem nomine Julianam, tam anxie conscientiæ, ut nemo Vallisoleti sacramentalem illius confessionem vellet excipere: incipiebat jam delirare. Et spatio quadraginta sex annorum, quibus animarum gero curam, nihil in hoc genere tam terribile, aut simile sum expertus. Commendabatur impensè Deo à Domina Marina; solabantur ipsam viri

doctissimi, & nihil sufficiebat. Tandem autem, & quidem disertissimis verbis, dixit nostra Virgo prædictæ Sorori, ut haberet patientiam; non enim expedire ipsius animæ, ut liberetur à scrupulis, quoad viveret: sub horam tamen mortis, & in confessione, quâ tunc animam esset expiatura, restituendam à Deo quieti. Ità factum est. Vocatus fui ad commodandas confidenti aures, non sine ingenti meo timore, & miratus sum opera Dei: nam confessa est cum magna pace ac tranquillitate, suscepitq; omnia Sacramenta, acû nunquam scrupulis fuisset exagitata.

Post alia subjungit prænominatus P. Fr. Andreas. Certò mihi constat, quia id sepe sum expertus, quasdam personas, eò quòd non acceptaverint ipsius admonitiones, neque secutæ fuerint ejusdem consilia, gravibus à Deo, & peracerbis fuisse castigatas poenis temporalibus. Manifestabat mihi Virgo aliquot mensibus antè, distinctèque exprimebat poenam, quam Deus ipsis cominaretur. Ego de ea illas personas præmonebam, cumque manerent obstinatæ, ità planè puniebantur, ac dixerat. Vice versâ ijs, qui sanctis ipsius consilij obtemperabant, vidi prospere negotia cessisse: cujus rei longam ex multis eventibus habeo experientiam, per tot annos, quibus cum illa sum versatus, quos singillatim non refero, cum id non conveniat, nè in eorum, quibus acciderunt, deveniatur notitiam.

Dixit quodam tempore matutino Venerabilis Marina P. Michaëli de Orenja, suo Confessario, dum Rectoris fungere munere, in nostro Collegio S. Ambrosij: Pater, hac nocte me isti mei Domini Angeli duxerunt ad templum Tuæ Paternitatis, & ostenderunt mihi corpus S. Patris Ludovici de Ponte, quod certè sum venerata, tanquam corpus sanctum. Interrogavit illam tum Rector, qualiter corpus esset constitutum, & ipsa respondit, non esse profusum integrum, neque omnino consumptum, sed cæpisse corrumpi, ita ut possit dignosci facies, atque retinere adhuc suos crines in capite ac barba. Præter hæc, alia quoq; distinctissima promittit

indicia eorum, quæ viderat. Rediit P. Rector, & dimissis post meridiem omnibus Professoribus ac Scholasticis recreationis causâ ad hortum, se cum Fratribus Coadjutoribus occlusit in templo; iussit exhumari corpus, aperuit tumbam, non dicens illis nisi postea, cur id faceret: & repertum est, eam penitus referre speciem, & habere signa, nec uno quidem discrepante, quæ ipsi Virgo dixerat.

Quadam vice Deus huic Virgini dixit: Veni citò mecum, veni mecum, & ostendam tibi, quid agatur. Duxit illam, nullâ ei concessâ morâ, ad locum procul distantem Vallisoleto, ostenditque ipsi quoddam opus, & occupationem nonnullorû, quos Pater Orenja noverat. Notavit Virgo locum, actiones, vultus, & constitutionem omnium; retulitque universa dicto Patri Orenja, suo Confessario, qui unum illorum in bonum ipsius de hoc facto admonuit per epistolam, & quantopere Deus esset offensus, exponendo singillatim, quæcunque fuerant acta. Respondit ille fatendo itâ omnino esse, vehementer obtupefcens, rem tam remotam; addeoque secretam fuisse tam celeriter resecitam, & quidem cum tam clara omnium circumstantiarum notitia.

Corruptus fuit morbo in nostro Collegio S. Ambrosij P. Lopez Otto de Angulo, & quia erat optimus Religiosus, plurimumque utilis in officio, quod ex obedientia gerebat, rogavit multum P. Rector Venerabilem Marinam, ut ipsum commendaret Deo, quò ei dignaretur reddere sanitatem. Ipsa id fecit, ac deinde illi dixit: Pater, feci quod mihi Tua Paternitas mandavit: verum S. P. Ludovicus de Ponte mihi omnem de eo spem sustulit, dixitque, animam hujus Religiosi à se presentandam Divino conspectui, ubi exspiraverit, aut paulò post. Mortuus fuit agrotus intra biduum vel triduum. Notandum autem est, illum specialiter fuisse charum P. Ludovico de Ponte, eidemque valetudinario inservivisse toto tempore, quo Artium ac Theologiæ Studijs operam navabat.

Quomodo hæc Virgo opem attulerit

Portui Diviti, & quæcunque ibi evenerunt, non solum novit tota Hispania, sed etiam ego alibi recensui. P. Michael de Orenja jurat, se multis mensibus, antequam ea hic scirentur, audivisse ex ore ipsius expressissimè, quæ illic fiebant. Scribit præterea, qualiter liberaverit classem nostram ab exercitu Anglico, interpositâ nebulâ, nè nostra à classe hostili invaderetur. Atque id, quod in Hispania innotuit, cum nostri è navibus exscendissent, jurat uterque Confessarius, se intellexisse longè priùs, sibi que de die in diem ab ipsa fuisse narratum, quid cum classe nostra ageretur, quam illa semper comitabatur.

Item ambo jurant, quòd hæc Venerabilis Domina ipsis aliquando dixerit, ostensum sibi fuisse in mari ingentem tumultû, & interceptum esse argentum ab hostibus, quod advehebatur ex Indijs. Fuit ab uno illorum interrogata, quid evenisset tot animabus (solita enim erat in hujusmodi conflictibus videre, quæ salvarentur, aut damnarentur) & respondit, nullam sibi exhibitam fuisse à Deo. Cùm id audirent, ac divinarent, Hispanos se nequaquam dedidisse absq; conflictu, & moraliter esse impossibile, ut, si conflictissent, nulla fuisset edita strages hominum, dixerunt illi: Videtur, non fuisse interceptum argentum & classis, sed naves aliquæ mercatorum venientes in Hispaniam. Non, Patres, reposuit ipsa; sed argentum, ac thesaurus, qui ex Indijs Regi, & privatis advehi consuevit, est perditus, ablatûsque ab hostibus. Redditi fuere perplexi, & post aliquot menses viderunt, itâ verè evenisse; spectavitque post aliquot annos Hispania capite plexum classis Ducem, quòd nullo explorato tormento bellico, neque educto gladio, tam opulentam prædam Hollandis tradidisset.

Comparuit eidem Virgini Sanctus Patriarcha cujusdam Ordinis Religiosi (existimo id accidisse eo anno, quo obiit) comitantibus ipsum nonnullis Sanctis Patriarchis aliarum Religionum, dixitque illi: Vides, meos filios conventuros ad electionem novi Prælati, à quo regantur, ac tractaturos negotia suæ Congregationis; to-

go te, ut illos commendes Deo. Ipsa ter-
giverfabatur dicens, se parum posse præ-
stare, futuram tamen, quod ab eo jube-
retur, ut illi obediat, atq; id melius ab ipso
fieri posse, qui frueretur Deo. Ità faciam,
respondit Sanctus: verùm etiam tu pre-
ces tuas offer, cùm Deus magni faciat pre-
ces Justorum degentium in terra. Scias
quoque, me adfuturum Capitulo cum his
Sanctis Patriarchis, quos hîc vides. Sic
Sancti valedixerunt Virgini, & illa, quem-
admodum animam suam pandere confve-
verat, narravit visionem Confessario, cui
post paucos dies dixit: Fuit hîc heri talis
Religiosus (erat vir magnæ in suo Ordine
authoritatis, qui ibi vivebat) dixitque mi-
hi, Superiorem, qui se abdicaturus erat of-
ficio, ac duos tresve alios ex Capitulari-
bus brevi adventuros, & ab his videri ad-
ferendam jam peractam electionem; in-
nuens, ipsos venire, postquam jam inter
se se concluderunt, quem essent electuri, &
qualiter pro suo beneplacito distributuri
officia. Adfuit denique designatum tem-
pus, ingressi sunt statò die Capitulares lo-
cum suæ electionis, & cùm illam postri-
die ipsius Confessarius adivisset, ut exci-
peret ejus confessionem, illique celebra-
ret Missam, dixit ipsi Venerabilis Marina.
Heri jussu Dei ad sui Capitulo illorum Re-
ligiosorum, & vidi, postquam confedis-
sent, Sanctum eorundem Patriarcham in-
gressum fuisse, cum alijs Sanctis, quos Tuæ
Paternitati nominavi; atque severo vultu

ad quendam ex ijs Religiosis confidenti-
bus accessisse, arreptoque ejusdem habitu,
illum magno impetu & vi extrussisse ex
conclavi, ità ut ibi ultrà non comparue-
rit. Accessit deinde ad alium, quem ap-
prehendit, ut & ipsum eiceret: verùm is
aliquantum restitit, & allegavit quasdam
causas, quæ tamen illi nihil profuerunt,
nec à Sancto sunt approbatæ, ideòque fuit
ex conclavi ejectus, sicut præcedens. Po-
stea Sanctus Patriarcha arripuit alium, qui
magis repugnavit, attulitq; rationes, qui-
bus quidem Sanctus Patriarcha sibi mini-
mè satisfactum esse ostendit, nihilominus
ipsum reliquit, quasi alio tempore prome-
ritam penam luiturum. Hoc Sancta suo
Confessario recensuit; ille observavit, quid
esset eventurum. Accidit verò, ut intra
octo circiter dies primus illorum fuerit
mortuus, alter paulò post: uterque enim
obiit durante Capitulo. Tertius autem
graviter ægotavit, & quamvis convalue-
rit, sæpe dixit, se non victurum usque ad
finem sui officii, sicut factum est, quia citò
è vita migravit.

Missus erat Madrito specialis Cursor,
qui significaret, Regis filiam ægotare, ut
illam Venerabilis Marina commendaret
Deo. Monita de hoc fuerat à suo Con-
fessario, petente ut id faceret. Audito
nuntio, modicum hærens, seque internè
colligens Virgo respondit: Filia Regis ex
hoc morbo morietur, quod intra pau-
cos dies evenit.

CAPUT XI.

Continuatur idem argumentum, de veritate
ipsius prophetiarum.



Quando Adolphus Sveciæ
Rex, & Orbis terror, in-
gressus est Germaniam,
Venerabilis Marina, cùm
intellexisset damna ab
ipso illata Catholicis, &
metum aliorum graviorum, quæ intenta-
bat, cœpit zelare more suo pro bono Ec-
clesiæ Romanæ, atque hoc negotium im-
pensè Deo commendare. Tametsi verò à

Divina Majestate peteret hujus hæretici
conversionem, dolens, ut ipsa ajebat, ho-
minem tam nobilis naturæ, totque præcla-
ris animi dotibus, ac tam egregiè indole
præditum, ruere in exitium: aliud nihilominus
in suo corde, & vehemens sentie-
bat desiderium ipsius interimendi, & ex-
terminandi illius hostis Fidei, quandoqui-
dem obstinatè nollet converti. Admiran-
da hunc eventum concernentia fuerunt
acta